

*Genuisti me virum discordiæ in universa terra
(Ier 15, 10).*

Lectio libri Ieremiæ prophætæ

38, 4-6. 8-10

In diébus illis:

⁴ **D**ixerunt príncipes regi:
«Rogámus, ut occidátur Ieremías iste;
de indústria enim dissólvit manus virórum bellántium,
qui remansérunt in civitáte hac,
et manus univérsi pópuli loquens ad eos
iuxta verba hæc;
síquidem homo iste non quærit pacem pópulo huic
sed malum».

⁵ Et dixit rex Sedecías:
«Ecce ipse in mánibus vestris est;
nequit enim rex vobis quidquam negáre».

⁶ Tulérunt ergo Ieremíam
et proiecérunt eum in lacum Melchíæ filii regis,
qui erat in vestibulo custódiæ.
Et remisérunt Ieremíam fúnibus.
Et in lacu non erat aqua sed lutum;
descéndit itaque Ieremías in cænum.

[7]

⁸ Et egréssus est Abdémelech de domo regis
et locútus est ad regem dicens:

⁹ «Dómine mi rex, malefecérunt viri isti
ómnia, quæcúmque perpetráverunt
contra Ieremíam prophétam,
mitténtes eum in lacum, ut moriátur ibi fame;
non sunt enim panes ultra in civitáte».

¹⁰ Præcépit itaque rex Abdémelech Æthíopi dicens:
«Tolle tecum hinc trigínta viros